Sienkiewicz Petrus: Plausus et planctus dioecesis Cracoviensis — 1700

PLAVSVS
ET
PLANCTUS
DIOECESIS CRACOVIENSIS,

Æternæ Memoriæ,
CELSISSIMI olim PRINCIPIS,
Illustrissimi, & Reverendissimi Domini,

D. STANISLAI
IN LVBRANIEC

DAMBSKI,

DEI, & S. Sedis Apostolicæ Gratiâ,
EPISCOPI CRACOVIENSIS,
DVCIS SEVERIÆ,
Almæ Vniversitatis Cracoviensis
CANCELLARII FAVENTISSIMI;
DVM
In Ecclesia SS. Apostolorum PETRI & PAULI,
Funebri apparatu,
& mærentibus omnium animis,
Mortales ejus Exuviæ
TVMVLARENTVR.
A
M. PETRO SIENKIEWICZ,
In Alma Vniversitate Cracoviensi Philosophiæ Doctore.
PAROCHO SVŁOSOVIENSI, &c.
Sepulchrali obsequio,

DEDICATVS.

Anno Domini, 1700. *Die* 6 Decem:

CRACOVIÆ, TYPIS SCHEDELIANIS.

GENTILITIUM STEMMA, CELSISSIMI olim PRINCIPIS.

Magna Arbor & fortis, & proceritas ejus contingens Cælum, aspectus illius usq; ad terminos universæ terræ, folia ejus pulcherrima, & fructus ejus nimius, & esca universorum in ea.

Danielis Cap: 4.



O dilecta Dêis! ó magna Cæsaris Arbor!
Ne metuas ferrum sacrilegosq; focos;
Perpetuos sperare licet Tibi frondis honores,
Non Pompeianæ Te posuêre manus.

Martialis Lib: 9.

. . . quemcunq; requiras
Hac de Stirpe Virum, certum est de Consule nasci,
Per Fasces numerantur Avi; semperq; renata,
Nobilitate virent, & prolem fata sequuntur.

Claudianus.

Perillustri, & Reverendissimo Domino,

D. CONSTANTINO

IN LVBRANIEC

DAMBSKI

SCHOLASTICO VLADISLAVIENSI,

PRÆPOSITO WOYNICIENSI,

Perillustri, & Magnifico Domino,

D. ALBERTO

IN LVBRANIEC

DAMBSKI

CAPITANEO SOCHACZOVIENSI.

&c. &c.

Perillustri, ac Magnifico Domino,

D. MARTINO SKAŁAWSKI,

MARESCHALCO CVRIÆ CELSISSIMI olim PRINCIPIS, THESAVRARIO POSNANIENSI,

Dominis, D: & Benefactoribus Amplissimis.

L*Vctuosus* CELSISSIMI *olim* PRINCIPIS *ex hac vita decessus, non solas augustæ Domûs* DAMBSCIANÆ *squalido mœrore fuscavit Purpuras, sed nos omnes ferali doloris publici involvit umbrâ, quos adhuc in vita superstes Paterno semper habuit in affectu.* PERILLVSTRES DOMINI. *Ingemuimus enim non sine viscerali singultu, ad lethalem, Illustrissimi olim,*

& Reverendissimi Domini, D. IOANNIS MAŁACHOWSKI, Episcopi Cracoviensis occasum; cuius Gentilitiam Fasciam, non ita pridem crudeli manu Libitina laceravit, Fasciam inquam vitæ suæ, simul pressit, ex eaq; pressa, non guttas; sed lachrymarum imbres elicuit. Rursùs infandum renovare dolorem & gemebundas iterare Næenias debemus, ad obitum Celsissimi olim Principis, Illustrissimi, & Reverendissimi Domini, D. STANISLAI in Lubraniec DĄMBSKI, Episcopi Cracoviensis, Ducis Severiæ; cuius Gentilitiam ARBOREM, avara mortalitatis Dea, non tantum viridi foliorum ornamento spoliavit, sed etiam Parentalibus funestavit Cupressis, ut quantò maiora hilaria in solenni ad Cathedram ingressu eius sperabantur, tantò acerbior in mæsto ex hac vita egressu luctus omnibus eveniret. Verum non omnia Mors sub leges vocat atra suas, non omne Sacrum Dea importuna profanat. Virtus Magni huius in Ecclesia & Repub. Senatoris, etiam post fata triumphat. Dulce enim ei erat vitam amaram quia mortalem cêu inertem corporis sarcinam deponere, ut eò citiùs Capitolium immortalis gloriæ ingrederetur. Quamvis Gentilitia sua ARBOR invidâ Parcarum forfice præcisa, doloso mortis cineri immisceatur; Virorum famæ tamen non amittit; cùm ex hac mortalitatis favilla, præclarus immortalium honorum Phænix, Ecclesiæ & Re pub: oriatur. Sacrilegium enim ipsa reputârunt fata, æternitati consecratam DĄMBSCIORVM ARBOREM funditùs extirpare, optimè gnara uno avulso non deficere alium DĄMBSCIVM. Et hæc est maxima DĄMBSCIORVM felicitas, nullum eo nomine STANISLAI insignitum, mortuum auditum esse. Etiam Celsissimi olim Principis occasus, vincit & ipsum meridiem; idem illi quod soli evenit. Nam Princeps Planetarum nescit occidere uni; quin orbi alteri sereniùs oriatur. Lucere in occasu vitæ incipit, non occidere. Etsi enim immanis Hortulana Mors, voluit excusso per ingenium autumni viridis rami apparatu, evertere Gentilitiam ARBOREM, nil tamen effecit, Illustre enim Pinetum, protegere noluit apertum vitæ humanæ furem, prodidit scelestum prædonem, cùm Gentilitia ARBOR ipsa spontè exaruit, ut faciliùs in Colossum gloriæ & in fulcrum Ecclesiæ & Reipubl: assurgeret. Non totus mortuus est Celsissimus olim Princeps, perennabit meliùs illius fama in sui amantibus, quàm in obfirmatis ad omnem maleum adamantibus. Tempestivè opposuerat ante Adventum Domini, morti advenienti Panem Vitæ. Nam viam vitæ ingredienti, convenit Panis Vivus. Quid enim melius esuriem suam satiare potuit, quàm frumentum Electorum. Verè non gustabit mortem in æternum STANISLAVS olim PRINCEPS, cui immortalis cessit in alimoniam. Ergò refectus

cibo

cibo Spirituali, ne debilis Atleta morti appareret, perunctus & initiatus oleo Sacro, descendit cum ea in agone vitæ ipso ad certamen, quo benè consumato, repositam in regno Cælesti obtinuit Coronam. Suaviùs in posterorum memoria fragrabit Celsissimi olim Principis nomen, mutuatâ ab effuso oleo fragrantiâ, & qui bonus odor Christi Myrrhaq; in vita fuit, dabit & post mortem odorem suavitatis. Sudorem quondam elicuit simulacro Orphei adventus Alexandri, sæculis ipsis suorum recordatio beneficiorum, lachrymas eliciet. Vbi vel ipsa saxa ad uberrimas provocabuntur, quæ non sono testudinis, sed sumptu proprij ærarij in mœnia Ecclesiæ & Collegij Torunen: Patrum Societatis IESV, erigi fecit, & perfecit; Taceant id volumina, loquentur animandi in sui laudem lapides, plus ei tot erectæ moles debebunt, quàm saxeus Memnon soli, tamdiu personando eius famam, quamdiu illud durabit marmor. Et certè Vigilantissimus Pastor, STANISLAVS DÆMBSKI, *qui ut melius oves suas in loco pascuæ collocaret experimenta errantibus providit, quas famelicas in Xenodochijs sæpissimè sustentabat O atroces Novembris Calendæ! ô lugubris feria! ô dies Adventûs atri! quibus non amœno virore floret Gentilitia* GODZIEMBARVM ARBOR; *sed pullato colore squalet. Iustum proinde est ut Iubilum non lessum, ad iusta eius occinat Diœcesis Cracoviensis, dum Sacro Iubilei tempore, in medio Gratiarum Divi Tutelaris sui, & Divi* IOANNIS CANTII *nomen sæpè invocando, dissolvi mortale corpus suum petijt, ut citiùs cum Sanctis immortalis viveret in Cælis. Sed cessit iam suis encomijs Oratorum facundia; ubi facundiorem incipit æternitas. Lancinat primò cor Vestrũ Reverendissimè D.* CONSTANTINE SCHOLASTICE *Vladislaviensis, & Perillustris Domine* ALBERTE DÆMBSKI, CAPITANEE *Sochaczoviensis, Celsissimi olim Principis luctuosus occasus, cuius solatijs & gratissimo conspectu destituti estis; sed quo vivum obstrinxistis, eo affectu vitâ functum cum Amplissima Domo Vestra prosequamini. Absiste Tu quoq; à gemitibus per laceratas mentium fibras deductis Perillustris Domine, D.* MARTINE SKAŁAWSKI, *Mareschalce Curiæ Celsissimi olim Principis, non obijt enim, sed abijt in regionem longinquam cordis tui delicium, Illustrissimus olim, & Reverendiss: Dominus* ANTISTES, *sed Te sicut in vita sincerissimum Achatem habuit; ita & post mortem victuræ gloriæ & ultimæ voluntatis suæ fidelissimum Possessorem reliquit. Totam demum obitu suo pullatam Diœcesim Cracovien: & Cathedram alloquitur in Te, Illustrissime, & Reverendissime Domine, D.* CASIMIRE *à Łubna* ŁVBIENSKI, *Suffraganee Nominate, Canonice, Vicarie in Spiritualibus & Officialis, Sede Vacante Episcopatûs Cracoviensis & Ducatûs Severiensis*

Generalis Administrator, in Te inquam ceu in Atlantem Hercules totius Diœcesis Cracovien: molem deposuit; ut post mortem Celsissimi olim Principis, tuâ insigni prudentiâ, dexteritate, consilio, eandem sustentes, regas, & protegas. Ergò ut Mars ex acie, sic Mors è Palatio Celsissimum olim Principem rapuit minime? frustra vanos consumimus gemitus; & irritis doloribus causas doloris irritamus omnes. Parentent lachrymæ his, quibus omnia tristi depereunt letho, Illustrissimus olim ANTISTES, *Primâ Dominicâ Adventûs; quâ Rorate Matutinum intonat Ecclesia, ultimam æternitatis viam ingressus est, ut vitali perpetuæ benedictionis rore febrium & morborum ardore exustus irroratus fieret. Tempestivè venturo Domino obviavit, ut primus Principem & Regem Cæli terræq; & Dominum Dominantium in Cælis salutaret & adoraret* CELSISSIMVS *olim* PRINCEPS, & EPISCOPVS *Cracoviensis* STANISLAVS.

Perillustrium Dominationum Vestrarum,

Cliens obsequentissimus,

M. PETRVS SIENKIEWICZ,
in Alma Vniversitate Cracoviensi Philosophiæ Doctor, Parochus Sulosoviensis.

FEcunda Heroum Parens,
Dulce natale Polonorum solum.
Soli quia Supremæ Polorum Sedi,
semper vicinum est.
Quamvis enim ad Hyperboream Arcton;
quò immaniùs glaciali inertis brumæ cêu Plutonis cōpede prematur;
eò amæniùs tamen æmulis Elysio Chloridis opibus,
aureisq; viridium arborum ramis, Cælestem Alcinoum ornat.
Crystallino Neptuni regno;
etsi undiq; perfundatur:
nec tamen vasto suo fundo, Scyllæos inter fremitus,
avidamq; Charybdim, Vniones absorptos æstimat:
immò pretiosiores Erythræis Vni Negotiatori
quærenti bonas margaritas præsentat.
Alto Carpathi montis vertice Sidera feriat,
tantò tamen Viciniùs cælo assurgit;
quantò Cedris immortalibus in Viris Divinissimis,
Libanum Phœniciæ, Sanctis Sinai Arabiæ Sancitis,
in Divæ Themidis Mystis,
Montem Sion, non Regum Iudæ;
sed Potentissimorum Poloniæ Monarcharum imperio antecellit.
Ergò
Assurgite & Vos altiùs Vavellini montis Oreades,
in cujus auge
GENTILITIA DAMBSCIORVM ARBOR
augusto CORONARUM TERNIONE
coronata revirescit;
à qua nova; quia meliora omnis felicitatis
quàm olim Dodonæo querceto gaudia,
Diœcesis Cracoviensis sumit, & adorat.
Nimirum
B Sacer

Sacer hic mons,
in terra fixit basim, polorum tamen accedit viciniæ;
quia non Roseam, ut olim Hymettus;
non gemmeam, ut Romæ Palatinus;
sed purpuream Coronam, in D. Tutelare Tuo,
ad Solennem ingressum offert,
CELSISSIME PRINCEPS.
Et certè Hortus Conclusus Mons Vavel,
in quo extra Hesperidum aureos, vel Semiramidis pensiles,
etiam excelsæ DAMBSCIORVM ARBORES,
jam à multis annis,
quò magis vitali refertæ vigore,
eò Cælestium Gratiarum recreatæ virore, pullularunt.
Macte animo,
Illustrissime, & Reverendissime D. ANTISTES,
liceat etiam Tibi ascendere Montem hunc;
ut GENTILITIA TUA ARBOR,
turbulentis molestiarum
& laborum in Repulica cêu Eoli ventis agitata,
à Sole justitiæ, eò citiùs beneficos Gratiarum radios mutuetur.
Prosperè procede ad fastigium montis hujus;
ut glorioso D. STANISLAI Tui Patroni nomine,
floridoque Tuæ ARBORIS virore,
amoēna Diæcesi huic, extra Thessaliam instaures Tempe.
Iam proinde æternitati Tuam inservisti famam;
ubi illam Pontificali Sanguine resperſæ consignasti petræ.
Immarcescibilis Gentilitiæ Tuæ ARBORIS erit viror;
cujus fundamentum erit solida D. STANISLAI rupes.
Sublimis Vavel, non est mons iræ; sed gratiæ,
quot enim lapillos in Saxea molle sua numeravit,
tot Tibi prætiosa ad immortalis gloriæ coronam servavit monilia;
ut exinde prodires Summus, & Tiarâ coronatus.
Non invidemus potenti Epiro Dodonæum lucum,

sola

ſola tantum ſuperſtitionis caligine clarum,
ex quo vocales arbores prodierunt.
Gentilitia Tua ARBOR, à Boleſlao Crivouſto,
Monarcha olim Poloniæ Sereniſsimo, accepto virore,
nunquam peſtem ſterilitatis Aquilonarem in ramis ſuis ſenſit,
ex quibus Reſpubl: Polona, Caduceos Mercurij,
Ducales clavas, dedolabat, & hodiè Te
Celſiſſime PRINCEPS Scipionem alterũ habet.
Canat ſub tegmine fagi Mantuanus Vates
Bucolica Tyriri,
ſub Gentilitia Tua ARBORE,
prima glorioſaq; Majorum Tuorum ſemina,
Marones & Pericles Lechiæ facundi deprædicant;
quæ in fructus dignos, totâ Proſapiâ protuberarunt.
Etenim
non ſolet arbor bona, malos proferre fructus,
Inſitum eſt Heſperidum hortis aurea producere poma;
ſicut Iovis avibus, genuinum aquilarum partum, ad lucem comprobare.
E magna domo quidni magnum?
ubi & Tibi Celſiſſime PRINCEPS,
non umbratilem Lucinam aſpicere conceſſum;
& ut faciliùs ad Suprema honorum procederes faſtigia,
calcar & ſtimulum dederunt,
non obſcura Anteceſſorum Tuorum lumina.
Sed
prout difficile eſt Phœbi emergentis ortum occaſumq; ſcrutari;
ita Muſarũ Cultoribus arduũ, Majorũ Tuorum Centurias producere;
quia nec Oceanus Iſthmo, nec paginæ anguſtijs,
totius Domûs Tuæ inclytæ laus benè continetur.
Ergò
tamen ex Tuis Te Majoribus adorabimus Magnũ,
Nam.
& ingentia flumina in ſuis fontibus faciliùs coronantur.
Primus in laudes ſuas Senatum Apollinis & Muſarum movet,

totius DAMBSCIANÆ Domûs Autor GODŹIEMBA;
1020 qui in acie Martis pugnando detrusus equo,
omnibus armis destitutus; ne clade suâ elatus hostis
in Campis Lechicis Victoriæ palmam plantaret,
arreptâ pini arbore, cêu Hercules clavâ
monstra hostium omnium fugavit.
Nimirum
Sicut ex ungve leonem, è pollice Gygantem cognoscimus;
ita vel ex unico magnanimo Heroe,
familiæ amplitudinem licet conjectare.
Verùm
quis benè attingere potest brevi calamo
amplissima DAMBSCIORVM decora?
guttam quidem Oceano, minutissimam arenam Olympo subijcio.
Etenim,
terum hîc fasti & Iliades, cùm quilibet hic Achilles suum Homerum poscit.
Iam intra orbem æternitatis clausit Spiritum Heroicum,
Illustrissimus olim, & Excellentissimus Dominus,
VINCENTIVS à LVBRANIEC,
Palatinus Posnaniensis,
qui toties saluti Reipub: proprium propinavit cruorem,
quoties eum publicis expeditionibus objecit:
ut in eo hostes mergeret ad interritum,
ipse emergeret ad honorem;
cujus ut participes; ita & hæredes reliquit binos filios,
Vnum Procancellarium Regni,
Consum prudentissimum,
alterum Palatinum Brestensem,
Hectorem Sarmatiæ fortissimum,
in novem filijs Subsidium Patriæ semper ferentem,
qui Moschoviticis, Livonicis, Sveticis bellis insignes,
Duces, & Antesignani semper fuerunt;

quorum

quorum augusta facta vix unquam adæquare,
ita nec angusta pagina, benè comprehendere potest:
Vocalis fama buccinat super æthera,
Illustrissimũ olim, & Reverendissimũ Dominum,
MARTINVM LVBRANSKI,
Episcopum Posnaniensem, & Vladislaviensem;
qui nomine suo liberalissimus, & Patriæ deditissimus semper fuit,
exemplo Tutelaris sui non solùm vestimenti;
sed etiam & auri prodigus erat.
Quinquaginta septem Ecclesias fundavit,
cum proventibus munificis,
plurima Monasteria, Xenodochia erexit,
venas auri, subministrando alacriter;
ut haberet, quibus languida egenorum salus restauraretur.
Nec breves dedignantur paginas,
qui majores omnibus laudibus fuere,
zelantissimi pro Domo DEI Pastores,
Illustrissimi olim, & Reverendissimi Domini,
ANDREAS GODZIEMBA, IOANNES,
MARTINVS, GREGORIVS,
à Lubraniec Episcopi Posnanienses,
Vladislavienses, & Płocenses;
quorum Sanctimonia, pietas, ad cælos ipsos usq; pertingit.
Grave sepulchri marmor,
sed gravius Magnorum in Repub: Senatorum nomen,
omnium Oratorum calamos, in sui encomium movet,
qui etsi sepulchrali clausi tumbâ, vocali tamen famæ tubá,
virtutem, & dexteritatem eorum, tota deprædicat Polonia,
Illustrissimorũ olim, & Excellentissimorũ DD:
STANISLAI à Lubraniec Procãcellarij Regni,
ADAMI Słonimensis, Becensis, Lanciciensis,
Conariensis, Castellanorum,

C bui

qui non tantum armis conſerere,
cum hoſte in Sago;
ſed etiam in Toga diſſerere benè de Repub: didicerant.
Faſtis cælorum immortalibus etſi tranſcripſerit nomen ſuum,
Perilluſtris olim, & Reverendiſſimus Dominus,
LVCAS DAMBSKI,
Eccl: Cathedralis Crac: CANONICVS,
tamen in Cymmerijs fatorum umbris,
perennis famæ iubar accendit.
In cujus encomium aurum non atramentum effunde calame;
ubi ad auream dexteræ liberalis venam procedendum eſt.
Sed
annus in munere munificentiæ ſuæ pennam detineret,
ſi per omnes largitiones quæ propriæ illi fuêre, vellet contendere.
Nullus ab eo viator, vacuus receſſit,
qui ſe onere munificentiæ oberratum non ſenſiſſet.
In egeno pauperem ſibi Chriſtum exiſtimando ſemper,
ſterilia divitiarum ſuarum ſemina;
ut faceret fructifera in manus pauperum diſperſit,
quæ in perennem totius DAMBSCIANÆ Domûs centies
exercuêre adoream.
Hæc omnia profutura, in cælis opinatus;
quæcunq; inter egenos in terris expendiſſet.
Innatum hunc benè faciendi affectum habuit,
ab Illuſtriſsimo olim, & Reverendiſsimo Domino,
MARTINO LVBRANSKI,
Epiſcopo Vladiſlavienſi, & Poſnanienſi,
dùm præter alia varijs perſonis præſtita munificentiæ monumenta,
Eccleſijs, Sacriſq; aris, ſexaginta pyxides aureas, argenteas,
Monſtratoria donavit decem.
Debet ſuam majeſtatem ejus liberalitate erecta
in Eccleſia S. MICHAELIS Crac: Capella;
quam fundationibus, dotationibus
proventibus annuis donavit, & ditavit.

Magnum

Magnũ erga Perauguſtũ Capitulũ Crac: amorem
tacere nemo poteſt, cui in Cenſum perpetuum,
Centum millia florenorum inſcribſit.
Teſtantur illi lapides Sacri, arbores incorruptibiles,
ab eo cêu â novo Amphione, non ſono teſtudinis;
ſed ſumptu proprij ærarij in mænia Eccleſiæ Kruſzynenſis
erectæ, quæ hucuſq; in Coloſſum gloriæ perennem aſſurgunt,
& Cedrum famæ immarceſcibilem excreſcunt.
Reliquam Virtutum ſuarum ſeriem,
tenui calamo comprehendere impoſsibile,
quibus pro pagina cælum, pro atramento Oceanus vix ſatis eſt.
Dulce enim eſt delectari, his præclaris factis,
Phòébi Muſarumq; Cultoribus,
ſed dulcius ea repetere,
in Magnifico olim, ac Generoſo Domino,
IOSEPHO VLADISLAO DAMBSKI,
cujus magnum nomen etſi concluſerit cælum,
ducit tamen in obſequium honori ſuo vectigalem calamum,
pediſſequa immortalis gloriæ centum linguis iactabunda fama.
Profectò
Heros hic magnanimus, Roma parē ſi habuiſſet,
Curtios, Horatios, Decios poſtpoſuiſſet,
Parum erat Polono huic Alcidæ,
inacceſſos Carpathi montes tranſgredi;
niſi etiam Panonicam tranſijſſet Calpen,
Nam quòcunq; movit pedem;
ubiq; illi triumphales creſcebant laureæ,
præſertim in illis Saxoſis locis;
ubi pampineæ magis vernant coronæ,
quam palmares adoreæ.
Non hæſit ad Viennam dexteritas ejus,
Nam meticuloſi animi eſt ſemel in vita currere pro laurea,
& ſemper deinceps ſub umbra eius reſpirare,

ubi

ubiq; illum non Fabium Cunctatorem,
sed promptum Scævolam vidit Patria,
pro cujus integritate pectus proprium objecerat hosti,
nullo quassabile ferro.
Virtutem heroicam Vniversa hucusq; deprædicat Polonia;
cùm more modoq;
Illustrissimi, & Excellentissimi Domini,
IOSEPHI SLVSZKA,
Lithvaniæ Exercituũ Campi Ducis Magnanimi,
quoties in campum Bellonæ cruentum descenderat,
toties ex hoste Victor triumphaverat.
Quantum hujus herois apud alios Bellatores pretium fuerat,
qui maluit vigore corporis destitui;
quàm illâ agendi dexteritate cum illis simul non vigere.
Sed eheu!
dùm ei immortalem honoris ulterioris Coronam,
Patria nectere voluerit,
sæva Lachesis, fatalem vitæ suæ inservit coronidem, & Cupressum,
adeò; ut tota inclyta DAMBSCIANA Domus,
in lugubres Helliades conversa,
tristes Præficarum nænias occinere debuerit.
Ast
nunquàm is mori nequit, cui vitam perennem
barbaricæ peperêre mortes.
Non ita enim cecidit hic Magnanimus Vir;
ut dolorẽ inferat DAMBSCIANÆ Familiæ,
hostium enim lachrymas quos debellaverat;
non Civium quos amaverat meruit.
Ominatur hucusq; Patria ex Sanguine ejus
in acie Martis effuso; cêu ex auroræ purpura,
suæ diem serenitatis.
Nam heroum fortissimus, post superatum hostium Martem;
etiam

etiam de morte triumphans, Cæleſte Capitolium ingreſſus eſt.

Ergò

ſecurus gloriæ nepos eſt tuus,

Illuſtriſsime, & Excellentiſsime Domine,

SIGISMVNDE DAMBSKI,

Palatine Vladiſlavienſis, &c.

cujus memorem etiam poſt fata habet Te,

Patruum Amantiſsimnm,

nullibi melius reſpirat, quàm in Tuo gratiſsimo animo,

in Te enim purpuram Senatoriam,

& augem illam magnorum in Repub: honorum videt,

ad quam cruentis Martis paſsibus properaſti.

Dedit Tibi album calculum, magnitudo animi verè heroica

ad eam capeſſendam,

quam non de fulvo Phryxi vellere prætioſus murex;

ſed profligatæ Cynthiæ Othomanicæ pudor,

geminans ruborem colorabat.

Quercus alij non robora deducunt in atria,

Nam ad rigidi Aquilonis flatus,

cum folijs amittunt vultum.

Viror immarceſcibilis Gentilitiam colorat Arborem

quæ vivacem gerit medullam in obſequijs Reipub:

ſensêre toties pallantes Scythæ

Scitam Palatini in pugnando dexteritatem, & dexteram,

è quorum capitibus Capitolium gloriæ immortalis erexiſti,

& quoties arma induiſti,

toties ſpolijs, viribus barbaros exuiſti,

Quodſi Eſculapium ægræ Patriæ agere volueris,

præter virium, ſani Conſilij remedia adhibere debueris;

Quia

plurima in magna fortuna, meliùs conſilijs quam armis geruntur,

Non fruſtra Gentilitiã Arborẽ Dambſcij deduxere in Ceras nobiles;

ut ſemper virides ramos,

tàm faſcibus Regum & Principum honorarijs;

1026 quàm Senatorum curulibus exstruendis, sustineret.

1025 Nimirum ARBOR hæc Gentilitia,

consanguinitatis, & honoris in Repub: maximi est;

quæcunq; enim in Regno Poloniæ augustas domos decora exornant,

omnia affiguntur huic Arbori,

sub tegmine ejus securi quievere,

illi Illustrissimi Principes RADIVILI,

Gentilitiæ Tubæ sono, ad Martem heroës Polonos excitantes,

OPALINII, Gentilitiam Navem,

per sævos Neptuni Asiatici fluctus,

ad fortunatas pacis insulas dirigentes,

DŹIAŁYNSCII, Sagittâ hostes Patriæ

graviùs; quàm Telephi hastâ perfodientes.

DĘMBINSCII, PRZYIEMSCII, in Heroide sua,

supra omnes Camillas, virile robur spirantes,

POTOCCII, pro Cruce Domini,

cum Cruce Gentilitia pugnantes, Vincentesve,

TARNOVII in Gentilitio cêu olim laureato Marij vomere,

laurum Victoriæ ferentes,

LUBINSCII, in armato Gentilitij Bisontis Capite

Capitolium gloriæ immortalis, Præsuleiq; honoris erigentes,

ZYDOWSCII, odorem famæ & virtutis per orbem Polonum,

in Gentilitia ROSA spargentes.

WĘGLINSCI, Castellani Sandomirienses,

PANIEWSCI, Duces Hungariæ, & Poloniæ Supremi,

PIGŁOWSCII, & alij innumeri quorum laudibus

non in nucleo Homeri Ilias;

sed tota Sibillæ folia parum essent.

Verùm

& Tibi amplissimus patescit gloriæ campus

Perillustris, & Reverendissime Domine,

D. CONSTANTINE DAMBSKI,

Scholastice Vladislaviensis, &c.

Vera

Vera Paternæ Virtutis effigies,
magnæ probitatis exemplar, omnis eruditionis compendium,
Multum habuit Lechicus orbis,
ex Illuſtriſſimo Parente Tuo,
plus ex Te habet; dùm non tantùm
eius incedis veſtigijs, ſed eum vitæ integritate,
Sanctimoniâ, pietate, autoritate Superas.
Ergò
cùm talis tantusq; ſis,
mea hæc Venerabunda penna, ſub molle laudum Tuarum fatiſcit,
non ſcribit tamen periodum;
quia initiales præconiorum Myriades congerit Tibi
CELSISSIME PRINCEPS,
Illuſtriſſime, & Reverendiſſime D. ANTISTES.
Nimirum ex ipſo Senatorio STANISLAI Nomine,
honorum omina Tibi proveniebant,
tantũq; ab illo in titulos excelſiores, & Veneratione͂ promovebaris;
quantùm ab Illuſtriſſimi Sanguinis calculo.
Fuerit ſatis ijs quos ipſe purpuræ rubor erubeſcit,
è faſcijs infantilibus in honorũ augem, & Senatorũ ſubſelia evolvi,
vel per ampliſsimi Sanguinis Erythræum
ad aureæ felicitatis Cherſoneſum enatare
quaſi cunæ, & curules, faſciæ, & faſces,
vocabulis tantùm, non votis & ſuffragijs differrent:
idemq; eſſet naſci, & noſci Principem,
vittas capere quod & vitam.
Tu Illuſtriſſime, & Reverendiſsime Domine
ANTISTES,
noluiſti Principem è cunis agere;
ut arcano excelſæ indolis tuæ ad maximos honores,
ſtatim natæ, omnes honorum avidos doceres,
auguſtiùs eas fulgere purpuras,
quas robur mentium, & fulgor meritorum,
non rubor, & decor Sanguinis accendit,
 tantòq;

tantòq; decentius & cum maiori honore,
illorum caput coronat Mitra,
quod sub magnis Reipub: & Ecclesiæ honoribus non nutavit.

Proinde

vix Te tenerioribus annis maturior exemit ætas;
illicò Cecropias Minervæ arces adijsti,
Nec longo temporis tractu studia tractasti,
quia ut Phóébo splendor, auro pretium,
Sic cuiq; DAMBSCIO innascitur semper scientia & probitas.
Ludere in ludo literario elegisti;
ut scires prius in Apollinis acie,
quàm in augusta Iovis Poloni facie desudare.
Laborioso doctæ Palladis otio, magnæ Spei Alumnus,
quàm amplissimo Reipub: negotio, futurus eiusdem Senator,
annos & tempus devovisti.

Sed

angustum erga magnæ indoli Tuæ cælum Patrium,
augustas alieni soli oras vertere,
magnorum cultura est animorum.

Ita & Tu CELSISSIME PRINCEPS,

postquam sub Chironibus privatis,
prima in literis vitæ initia solidaveris;
ne nativum Virtutis splendorem obscurares,
publicum alieni orbis solem irretortâ palpebrâ aspexeras.

Non ignarus

quia clariùs emicat Iason inter Colchos
minùs inter privatos Thessaliæ parietes
sic & Tibi faciliùs extra, alienas virtutes nancisci,
quàm cum illis, inter lares domesticos nasci

vix enim Liligero Galliæ regno floridam ætatem intulisti,
statim odorem & candorem Virtutum,
melius uberrimum Scientiarum fructum
çêu ex aureo Hesperidum horto reportasti.
Tandem ex Gallia tendere debueras,
per tot discrimina rerum in Latium,
illud inquam Sanctitatis, & pietatis Viridarium Romam,

quam

quam parem capacitati ſuæ Vrbem nactus,
omnia eius decora collegeris adeò
ut haberet ſpectaculis, & triumphis addictiſsima Vrbs,
quid in Tuo animo miraretur.

Ergò

ex Italia in Germaniam perrexeras, in qua
dum multi eruditam ingenijs limam quærunt, ut niteant Sapientiâ,
limo innocentem vitam & mores obfuſcant
cùm habitu brevi patrios abbreviant.

In Te Celſiſſime PRINCEPS,

par zelo animi & Sapientiæ nitor, effulſerat ſemper,
adeò ut vel hoc ſolo, lucem majorem in illo occaſu augere poſſes.

Sed

redijſti cêu Titan Polono tandem vicinior polo,
à Te enim expectaverat Patria meridiem ſolatij proſperum,
Nam ſæpè mores candidos infuſcant Soles exteri,
& Ceris illuſtriſſimis, fumum vanæ gloriæ locò lucis appingunt.
Moveras exinde maturos paſſus cum matura virtute,
in natale ſolum, ubi promptos
& cuivis honori pares Spiritus exprompſiſti.

Et ne futurus Reipub: Polonæ Senator,
à Majeſtate Regum alienus eſſes.

Ad Solem properaſti Sereniſsimum olim,

IOANNEM TERTIVM,

Regem Poloniæ Invictiſſimum,

quia genuinus Aquilæ Polonæ pullus eras;
ubi non perſtrinxerat aſpectum Tuum auguſta Serenitas,
quia & Tu in Aquilarum nido natus es.
Etſi enim multis nubilus fulgor videtur,
qui Reges ſequuntur,
Tibi in aula Sereniſsimi olim Regis facilè mereri præconium,
ubi alijs intraſſe erat periculum;
quod ut faciliùs potuiſſes evitare,
non Ajacis; ſed Potentiſsimi olim Monarchæ Poloni
Gentilitio clypeo Te protexeras.

Tandem ex Sereniſſimi Regis Poloniæ polo,
1630 accepto Votorum lumine, cêu novus Prometheus,
abiveras ad illam auſpicatam Diœceſis Luceorienſis lucem,
ubi in primo Tuo adventu templa & aræ,
meliùs à Tua Virtute; quàm à ſuis lucebant ignibus.
Vix enim Luceorienſẽ Cathedrã ingreſſus fueras,
illicò Sponſam illam Virtutibus & exemplari Vitâ,
cêu gemmis pretioſis adornaſti.
Princeps Sacrorum in illa Diœceſi, ut appareres meliùs,
indueras animo Patrem, vigilantiâ Paſtorem, regimine Antiſtitem,
plenum gratiâ & Virtute.
Sed
occurrunt ſæpè adverſa ut Achillem & Hectora monſtrent,
Scipionem tamen vel Herculem contra hæc agere,
maius eſt; quàm Athlantes Mauritaniæ ſupergredi.
quia non provocant imbellem Adonidem, adverſæ rerum vices;
ſed Scævolam magnanimum;
qualem Te cùm in animo invenerunt,
ſtatim dexteritati Tuæ ceſsêre, Schiſmaticæ Harpiæ,
ubi Te viſo, cêu ad revelatam Perſei parmam obriguêre.
Ovile illud Tuum, quo Schiſma vel hæreſis,
fide Deo fractâ, infernalibus cêu Eumenidum odijs diſsipare voluit,
cùm conjuratis armorum procellis in Sereniſsimum Sponſæ caput detonuiſſet,
ſed necquidquam nocuêre illi Aquilæ fulmina,
fulguribus etiam uti ſole delectata fuerat;
pro qua Tu plenum pietate, zelo, Sanctitate,
pectus objeciſti, vel ideò
ne ampliſſima Diœceſis illa,
ſupra firmam fidei Romanæ petram benè fundata,
in ſtabilitate ſua haud unquam nutaret.
Verùm
etiamne Te hic altum, in Sede Luceorienſi Venerabantur omnes?
majorem in dies ſperaverunt.
Ipſe enim honor, animum ad altiora tollebat,

ad ſubli-

ad ſublimiora Te evecturus faſtigia,
ultro Te excelſiorem videre ambiebat,
ut Præſuleâ Tiarâ in ſublimiori Płocenſis Cathedræ Sede
coronatus magis ac magis emineres.

Debet Tibi felicitatem ſuam Cathedra illa,
quod Te ſummæ pietatis cêu alterum Aaronem,
vigilantiſsimum Argum, charitatis officio,
IOANNEM Eleemoſinarium,
miræ propenſionis habuerat Sponſum.
Decor enim Sponſæ non alius, & corona prætioſior nulla eſt;
quàm Tiarati pietas, & Sanctimonia Sponſi.

Profectò
decreſcere Summum bonum non poteſt,
nec virtuti retrò ire licet.
ſed in alias atq; alias qualitates converſa ad rerum quas actura eſt,
habitum figurata, altiùs conſcendit.
Fortunatiſsimo gradu quia virtutis inſtinctu
iviſti, ad Vladiſlavienſis Cathedræ Sedem,
& quia alijs ſumma fuere, hæc virtuti Tuæ debita ſub Te eminuere.
Et quoniam ſublime honoris culmen raró in meliores,
ſæpè in peiores mutat hominum mores, & mentes.
ſed Celſiſſime PRINCEPS,
animus Tuus ſtabilis firmusq;,
è centro virtutis immobilis nunquam variabatur;

Etenim
poſtquam ſuſceperas illud onus Epiſcopatûs Vladiſlavienſis,
quod Angelicis humeris formidandum eſt,
ſtatim indemnitati ovium Tuarum perſpexeras,
Lyncemq; perſpicaciſsimum egeras,
ne rapaces lupi, illud ovile Tuum vaſtarent,
Agnovit Te vigilantiſſimũ Diœceſis illa Paſtorẽ,
cûm militantes non Marti ſed Bacho furiarum Alumnos,
procul ab ovili Tuo fugare didiceras.
præſertim illos confæderatos, qui rigatas Colonorũ fruges triturãtes,
quærulas miſerorum linguas obturaverant toties,

 quoties

quoties pro domo suo non perorare sed exorare volverant.
1032 Si enim olim Isthmicos Triumphatores
coronabat pinus viridis,
Gentilitia Tua etiã ARBOR, omnes adornabat Poloniæ Proceres,
præsertim in illo augusto Electionis negotio,
sub cujus tegmine, dissensionum fulmina sensêre nulla,
quoties hæc ARBOR obtulerat eis pacificas Votorum laureas,
Immò
Dodonæâ silvâ deductam existimârunt prudentissimi Consi,
cujus ramis nobiles insedêre alites,
& plausu vocalissimo toti nobilissimo consessui narrârunt,
quod eam arborem nacti fuerant,
quæ Gentilitiã Poloniæ Aquilã non solùm fovere,
sed etiam suâ extollere amplitudine novit.
Canit hucusq; triumphale Io fama Lechica,
sub ARBORE DAMBSCIANA,
cùm sub tempus Electionis,
decumanis discordiarum fluctibus Patriam eripiebat,
secundasq; porrigebat tabulas; ubi alij fluctuabant.
Placuerat illibatus animi Tui candor omnibus.
dùm Tu prudentissimus Reipub: Senator,
Delphis Sensum Veriorem expresseras
& unanimi omnium consensu, Tuo imprimis ore Varsaviæ,
in illa Electione Serenissimum Saxoniæ DUCEM,
AVGVSTVM SECVNDVM,
REGEM Poloniæ Invictissimum, proclamaveras,
Approbavêre Tuum consilium, Phæbade omni certius,
omnes inclyti Sarmatiæ Proceres;
quibus semper promptissimam offerebas eloquentiam;
& quoties de futuro Poloniæ Monarcha tractandum erat,
tractasti ut fidelissimus Senator,
si resistendum falláciæ, resistebas ut AVGVSTVS,
si favendum veritati, favebas ut Aristides,
mentem

mentem ab illicijs privato commodo lenocinantibus,
ut dulcibus Calimachorum ſub antidoto venenis,
puram ſemper habuiſti.
cui nec aurea tempeſtas nubem obtendere potuit.
Obriguêre alij in Saxum ad felicem adventum,
Sereniſſimi DUCIS Saxoniæ,
REGIS Poloniæ Invictiſsimi,
Tu CELSISSIME PRINCEPS,
Phæbades non quæſiviſti;
cùm non vano ominabaris augurio,
præſertim in illo Solenni Coronationis Actu;
quia Sereniſsimus & Potentiſsimus Poloniæ REX,
à Te Coronatus, è tam nobili Silice
Mucrone Gentilitio ignes Martis ad comburendos hoſtiũ acervos,
triumphales Patriæ, fatales Otthomano excitabit.
Ergò
poſt tot exantlatos labores
CELSISSIME PRINCEPS,
interquieſce tantiſper ab ingenti quam cum principali paludamento
bono Eccleſiæ induiſti curarum Reipub: mole,
Procede potius hâc purpuratâ uti Senatorij Sanguinis;
ita & meritorum Tuorum ſemitâ,
ad hoc Ducalis, Epiſcopalis honoris auguſtale.
Submitte jam pridem infulatum caput Tuum Mitræ;
ut meliùs ſub optatiſsima tot æſtuantium
in Te Votorum umbra conſiſtas.
Etenim non uni caput aptũ Tuum circumfers honorũ coronamento;
quod Virtutibus in immenſum auxiſti.
In Tiarato capite Tuo ſuus & Mitræ Ducali debet eſſe locus,
ut meritis Tuis in Tiara ampliſsimis,
accedat Principale decus,
Celſitudinem Virtutum Tuarum coronaturum,
Sublatam ab Aquila Mitram Tarquinius olim ingemuerit,
etſi poſtea in Capitolio Romano reſtitutam;

 Tibi

Tibi Celsissime PRINCEPS,
hoc Aquilæ Polonæ munus,
extra gemitum capiti Tuo impositum est; vel ideò;
ut Te Mitrato, ales Regius nidum suum,
non turbidis dissensionum procellis, sed pace, &
tranquilitate meliùs componeret.
Compensant in Te STANISLAO, Celsissime PRINCEPS,
Serenissimi Regis Nostri favores;
quidquid in D. STANISLAVM Boleslai Audacis olim
temeritas peccavit.
Proinde felicia adsunt tempora; ut
Tu Celsissime PRINCEPS,
ex templo laboris, procedas ad templum honoris;
quod Tibi in Gentilitia ARBORE construxisti,
dedistiq; eandem Peraugusto Capitulo Cracoviensi,
in Colossum gloriæ, vel in fulcrum exedræ,
Ingredere feliciter quintâ jam vice Infulati honoris theatrum,
in quo Cardinalitias in MACIEIOVIO, RADIVILO, OLESNICIO
CAROLO FERDINANDO Purpuras,
TRZEBICIOS sublimè Cigni nomen post fata ad sidera ferentes
GĘMBICIOS, MAŁACHOVIOS, in Gẽtilitiæ Fasciæ peripheria
totam claudentes æternitatem,
& aliorum Antecessorum Tuorum splendidissima decora videbis.
En Tibi Regiæ, Metropolis, & Cathedræ Tuæ
cum Vniverso Diœcesis Clero Sponsa occurrit,
Peraugusti Capituli Crac: triplici diademate coronata,
ut sub Gentilitia Tua ARBORE, suum reclinet caput.
Tu tantummodo Vavelli hujus Præses Dive Martyr,
fave Successori Tuo;
ut Sanctâ intercessione Tuâ,
Pastor pro grege,
Antistes pro Ecclesiæ lege,
Senator pro Repub: & Rege zelosus,
quàm diutissimè vivat,

EPISCOPVS CRACOVIENSIS
STANISLAVS.